

3213 Sovizzi in sacroto ecclesiae parochialis.

VS · Q · F

NIOR

R

I

Castellini ms. f. 81; Caldogni n. 89 (inde Barbarus 6, 195).

4 om. Cald. II.

3214 effossa dicitur a. 1612, dum ampliatur sacra aedes D. Petri Insularum Maladi; extat in parietibus eius CERCH.

C · R · AV · P · V · D

Cerchiari f. 44. Utrum sit huius aetatis necne, nescio.

3215 Montecchio maggiore ad ecclesiam S. Vitalis in macerie.

P · XXX

P · XVIII

Faccioli 3, 237; Schio p. 85 tab. 20.

3216 arca ex epistylio facta, Sandrigi in curte archipresbyteri FACC. Nunc Vicetiae in aedibus Schio.

MVNVS VIRGO TVVM INVOLATA CARNE IVVASTI .

AETERNVMQ INDE ADEPTA PER SAECVL A NOMEN .

CORONAM PACIS HABES QVAM CASTIS DAT AB ORIGINE PRINCE

REGNARE QVI QVIVIT SANCTIS DEDIT VICTORIAE PALMA

5 IN SINVS IAM REQVIESCIS ABRAHAM IACOB ALQVE ISAC

sic NVLLA ROENARVM TE LOCA DITINENT HORRENDAE GEHENNAE

ADEO NIACRINA VIVIS SEMPER IN NOMINE XTI

Contuli. Faccioli 3, 202; Schio p. 99 (cf. p. 127) tab. 18.

3 fin. post PRINCE spatium vacuum. — 5 sic pro POENARVM. — 7 legendum esse MACRINA vidit iam Facc.

XXXVI. VERONA (*Verona*). *Tribu Poblilia.*

Auctores Veronenses hi sunt.

I. CYRIACANA antiquissima quae mihi dicuntur, Veronensia ea sunt quae leguntur apud Marcanovam in codice Bernensi loco priore f. 102. 103 (mihi n. 347. 348. 351—355; interpositi duo tituli n. 349. 350 Aquileienses sunt supra relati n. 767. 781); nam cum Veronensia ibi propontantur bipertito, quae altero loco exhibentur, ea ad secundum ordinem pertinere mox videbimus. Illo loco non referuntur nisi tituli Veronenses sex, scilicet arcuum trium n. 3329. 3400 (qui bis refertur). 3464 et sepulcrales duo n. 3505. 3723 et falsus ad Plinium pertinens n. 365*. A Cyriaco eos proficisci dubium non est, cum tituli n. 3329 Gallieniani idem exemplum imperfectum adhuc et omnino omnium antiquissimum praeterea non redeat nisi in codicibus duobus certo Cyriacanis Vat. 6875 et Marc. cl. XIV n. 124 (v. p. 3), redeatque in iisdem libris alter titulus ex sex illis n. 3505.

II. ANTIQUUS qui mihi dicitur et ipsum Cyriacum esse videri et agi de sylloge epigrammatum Veronensium plena et perfecta, quam post rudimenta illa Cyriacus absolvit c. a. 1433, infra demonstrabitur. Primum autem recensebimus libros, quibus haec tradita accepimus; ipsius enim auctoris exemplum mature videtur interisse, quaeque inde supersunt, iam sparsa et disiecta ex multis multorum libris aegre nec fortasse plene recuperantur.

1. SCALAMONTIUS in vita Cyriaci, quae servata est in codice bibliothecae capitularis Tarvisanae scripto manu Feliciani, edita inde omissis epigrammatis a Coluccio ant. Pic. vol. 15 p. L—C, iter enarrans, quod constat spectare ad a. 1433 vel 1434, f. 88 seq. sic scribit*): ‘Et denique Veronam . . . venit, ubi non exigua veterum monumenta comperit. . . . In hac urbe Ligurica vidit Kiriacus, ut in commentariis suis reposuit, laberinthum, scilicet amphitheatum, cuius descriptio sequitur. Deinde pergit biographus ad portam Gallieni verbis iis quae attulimus ad n. 3329; se-

quuntur epigrammata Veronensia numero viginti. Ea excerpta esse ex sylloge ea de qua agimus comparatio ostendit. Etiam n. 3677 cum prescribatur ‘ibi prope in hortulo’, praecedat autem ‘in phano divi Proculi’, apertum est inter utrumque excidisse titulum titulosve servatos ad S. Zenonis; nam in eius ecclesiae hortis lapis ille olim fuit. Exempla Scalmontiana saepe retinent veram versuum divisionem.

2. FELICIANI praeter pauca ea, quae ex Veronensibus suis posuit in libro Tarvisano, de quo modo dixi, f. 205 seq. post iubilationem (de qua vide in praefatione ad Brixiana) duos adhibui libros autographos Marianum et Veronensem, quorum ille et paullo antiquior et plenior et emendatior est, hunc nescio quis subinde emendavit ad Saraynam editum lapidesve adhuc superstites. Tertium exemplum item autographum omnium antiquissimum domini Labusii sordida avaritia nobis denegavit. Inter secundarios auctores, quibus in his standum esse vidimus, Felicianus fortasse primum locum obtinet; nam sylloge Veronensium quam proponit et ampla est epigrammatum circiter CLXXXVIII, quorum n. 1—88 (secundum meam numerationem) oppidi sunt, reliqua agri, et accurate scripta. Ad additamenta ipsius Feliciani quod attinet, adiecissem videtur in ordine titulorum ipsius oppidi quinque extremos n. 84—88, nobis n. 3511. 3335. 3479. 3260. 3608; nam et praescripsit ad n. 84 ‘Veronae iterum in fabrica S. Nazarii . . . noviter repertum’ (ubi attende ad verbum *iterum*) et absunt hi a reliquis auctoribus Cyriacanis omnibus praeter eos, qui expilarunt ipsum Felicianum. Similiter titulum n. 3460 ipse ex lapide explevit. In suburbanis si quidem item quaedam adiecit, ea iam non distinguuntur. Ficta videtur ab eo una inscriptio n. 368*, quae vel a Marcanova abest et postea accessisse videtur, quam is Feliciani librum describendum accepit. — Schedae Muratorii Pseudo-Pacedianae, scilicet quas Muratorius citat sub nomine Pacediani, cum a codice eius absint, aut Feliciani fuerunt aut certe ex Feliciano derivatae (cf. n. 3398).

3. MARCANOVA quae posuit in libro Bernensi loco posteriore f. 145. 146 (mihi n. 640—655), ea quamquam propria quaedam habent (ita titulum n. 3307 praeterea nullus rettulit ex antiquis, alterum n. 3840 ex hoc uno libro novimus; cf. n. 3340), tamen pendere ex ea sylloge, quam Antiqui nomine appellare soleo, certum est, cum tituli admodum corrupti (ut n. 3361. 3664) plane similiter et cum iisdem locorum indicationibus legitur tam apud alios auctores qui Antiquum expilarunt quam apud

* ed. p. XCIII. Cf. itinerarium a Mehusio editum p. 28, ubi sic scribit Cyriacus ipse: ‘Veronam venimus . . . ubi et insignia vetustatum plurima vidimus et arenarum augusta ex L. Vitruvio nobilissimo architecto, ‘theatra antiqua, deinde moenia portasque regias et veterem abbatiae ‘S. Zenonis bibliothecam’.